

§. 1. Festum ipsius die decima nona mensis Maii, quo eius anima mole carnis exuta, caelos petens, cum scala glorie caelitis ciuibus est coniuncta, statuentes à fidelibus annis singulis celebrandum.

§. 2. Ad ipsum quidem Sanctum ingentem deuotionem gerit partium istarum populus, & iam multi ad ipsius suffragia deuotis orationibus, & emissis votis in humilitate, remedia super suis iustis petitionibus reportarunt, & reportare non desinunt incessanter.

§. 3. Ex his nempe tibi fili charissime adaugeri debet proculdubio magnae spiritualis laetitiae incrementum, & inde teneris Deo assurgere ad gratiarum deuotas, & humiles actiones, qui tibi talem de Regno tuo, in quo etiam corpus quiescit, eiusdem patronum, & intercessorem in sua curia caelesti concessit, ad quem super tuis necessitatibus, ut diuinam tibi propitiationem apud Regem aeternum, qui omnia palmo concludit, obtineat, recurrere poteris, sicut credimus confidenter.

Dat. Auenione 11. kal. Iulii, Pont. nostri Anno 6.

De cibo, & potu, ac numero eorum seruientium, quibus uti possunt Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales existentes in Conclau pro electione Summi Pontificis.

De materia eiusmodi Conclauis, vide infra in const. 63. Pii IV. In eligendis, ubi notabo.

De electione vero Romani Pontificis, & de omnibus ad illam operantibus, plenissimam edidit const. Greg. XV. inf. tom. 4. num. 13. Aeterni, pro cuius faciliori obseruantia editum fuit Caeremoniale quod habes approbatum ab eod. Greg. const. 19. Decret. Et nouissime, tam const. quam Caerimoniale confirmavit S. D. N. Urb. VIII. const. 46. Ad Roman. d. tom. 4.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Licet in constitutione à fel. recor. Gregorio Papa Decimo praedecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita in Concilio Lugdunensi inter caetera caueatur expressè, quod si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua curia residebit, diem claudere contingat extremum, Cardinales in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat, omnes conueniant, & in eo singuli singulis tantummodo, nisi illi quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, contenti seruientibus, clericis, vel laicis, prout elegerint, vnum Conclauem nullo intermedio pariete, vel alio velamine inhabitent in communi.

§. 1. Et quod diebus certis non facta prouisione de Pastore decursis, panis, vinum, & aqua tantum eisdem Cardinalibus, donec subsequatur prouisio, ministraretur.

§. 2. Quia tamen, sicut frequentè multorum assertione, & in Cardinalatu constitutorum percepimus, nonnulli ex Cardinalibus in obseruatione constitutionis ipsius gravati alias nimium extiterunt, multi quoque ex ipsis duos in dicto Conclau habuerint seruientes, non absque scrupulo conscientiae, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta constitutione ut praemittitur contentorum. Nos prouidere super his cupientes, ex his & certis aliis causis rationabilibus, quae nostrum ad id animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, & etiam ad fratrum nostrorum supplicationem in his prouidimus temperandum; auctoritate Apostolica statuentes, quod Cardinales postquam Conclauem huiusmodi, seu clausuram pro dicta electione celebranda intrauerint, singuli duos seruientes tantum habeant clericos, vel laicos prout duxerint eligendos.

§. 3. Ac etiam singulis, praeter panem, vinum, & aquam in prandio, & in coena, vnum duntaxat ferculum, seu millum carniam vnius speciei tantummodo, aut piscium, seu ouorum, cum vno potagio de carnibus, vel piscibus principaliter non confectis, & decentibus salisamentis habere valeant, ultra carnes salitas, & her-

Bullar. Mag. Tom. 1.

bas crudas, ac caseum, fructus, siue electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit.

§. 4. Liceat etiam eis ex decentia honestatis, habere in clausura huiusmodi, cum in lectis quiescendi causa, vel dormiendi esse voluerint, duntaxat intermedia, seu velamina simplicium tantummodo cortinarum.

§. 5. Praedictis & fel. mem. Clementis Papae V. praedecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c.

Dat. Auenione 8. Idus Decemb. Pont. nostri Anno 10.

Mit' gat in super. circa l'c' H' intermedia.

Derogatio contrariorum.

D. P. An. 10. 6. Decemb.

INNOCENTIUS SEXTUS PONT. CCL. ANNO DOMINI MCCCLII.



Innocentius VI. Gallus, Stephanus antea dictus, Alberti filius, Lemovicis in Gallia Provincia Aquitania ortus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli, tr. Pam-machij, deinde Episcopus Ostiensis, & Veliternus. Creatus Auenione 15. Kal. Ianuarii anno 1352. Coronatus 4. Kal. Ianuarii eodem anno. Sedit annos 9. menses 8. dies 26. Creauit Cardinales 16. Obiit Auenione pridie Idus Septemb. 1362. Corpus eius sepultum est in Cathedrali Ecclesia Auenionen. S. Mariae de Donis, postea translatum est ad Monasterium Carthusianorum, apud Villam novam. Vacavit sedes mensem 1. dies 26.

Iurisdictionio, & facultates Aegidii S. R. E. Cardinalis Legati, & Vicarii Apostolici totius status Ecclesiastici.

Hic Aegidius quamplures edidit constitutiones, Marchia nuncupatas, quae in Vrbe, & toto statu Ecclesiastico seruanda sunt, ex const. 15. Six. IV. Et si de, ac Pauli III. const. 17. Officii. Ego autem hanc Bullam, & alias duas circa iurisdictiones Legatorum in hoc opere posui, ob eam rem quam tibi dicam infra, in dicti Pauli Tertii const. 16. Licet.

INNOCENTIUS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei: Dilecto filio Aegidio, tituli sancti Clementis, presbytero Cardinali, Apostolica Sedis Legato, ac in prouincia Patrimonii beati Petri in Tuscia, Ducatus Spoletani, Marchia Ancone, & Romandiola, Campania, & in Maritimis prouinciis, ac in Ciuitatibus, & terris, & aliis omnibus Romanae Ecclesiae immediatè subiectis

Edita An. D. 1353.

subiectis, & intra terminos tuae legationis constitutis, nostro, & ejusdem Romanae Ecclesiae in temporalibus Vicario generali: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.



U m onus universalis regiminis domini gregis superna dispositione inunctum attendimus, & nostrum attente prospicimus imperfectum, videntes nullo modo per nos ipsos posse exolvere debitum Apostolicae servitutis, non-

numquam fratres nostros S.R.E. Cardinales, viros electos ex millibus, scientia praeditos & virtute, in quibus timor Domini sanctus permanet, in sollicitudinis partem assumimus, eosdemque in univasas Mundi provincias & partes, incumbentibus negotiis designantes, ut ipsis vices nostras suppleantibus, in eisdem & ipsorum cooperatione laudabili nostri oneris alleviationem facientibus, nos ministerium nobis commissum, favente divina gratia, facilius & efficacius exequamur.

Cum huius de nationi.

§. 1. Sane, licet ad cunctorum Christi fidelium curam & regimen, veluti ipsarum ovium pastor & rector, intentione nostrae aeternae extendamus; Provincias tamen & terras temporaliter Apostolicae Sedi subiectas, & ipsarum populos diversos ipsius Romanae Ecclesiae speciales filios & devotos praecordialius intuemur, & super eorum felici regimine & statu prospero & tranquillo, specialius affectibus peculiaribus cupimus providere. Attendentes itaque quod tu potens opere & sermone, quem magnis expertu & arduis, probitate ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus scientiae magnitudine, industriae claritate, maturitate consilii, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis insignivit, in cuius affectu geritur, ut indubitanter tenemus, pacificare discordes, sedare fluctuationes & turbines, iustitiae terminos colere, & errantes ad viam rectam reducere veritatis, & quod nos absentes, repugnante natura non possumus assistere, commissam tibi curam divina gratia prudenter & fideliter exequeris, matura cum fratribus nostris deliberatione praehabita, de ipsorum communi consilio & assensu.

Deputatio generalis Vicarii in statu Ecclesiastico cum potestate.

§. 2. Te in Patrimonio B. Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, Marchia Anconae, Romandiola, Campania, Maritimae provinciae, ac omnibus & singulis civitatibus & tetris eidem Romanae Ecclesiae temporaliter, mediate vel immediate subiectis, infra terminos legationis tuae, ut praemittitur, nostrum & ejusdem Romanae Ecclesiae Vicarium in temporalibus, reformatorem, ac pacis & provinciarum conservatorem constituimus generalem, circumspectioni tuae Patrimonio, Ducatum, Marchiam Anconae provincias, civitates, & terras praedictas, praefatae Romanae Ecclesiae nomine, prout & in quantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, reformandi, regendi, gubernandi, & administrandi, ac in eis jurisdictionem plenariam, prout & in quantum ad dictam Ecclesiam pertinet, vel pertinere poterit, exercendi.

Causae omnium & singulorum.

§. 3. Civiles & criminales causas, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutendi, & causarum cognitionem & decisionem alii seu aliis, communiter vel divisim, generaliter vel specialiter committendi, & ad te cum placuerit, reuocandi.

Barones & alios quoscumque puniendi.

§. 4. Omnesque & singulos cuiuscumque excellentiae, auctoritatis, nobilitatis, praeminentiae, conditionis, aut status existant, quos iustitia suadente priuandos videris, privandi eos statibus, dignitatibus, honoribus, Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baronibus, dominiis, terris, feudis, retrofeudis, jurisdictionibus, iuribus, redditibus, & bonis mobilibus quibuscumque, easque dictae Ecclesiae Romanae confiscandi & applicandi.

Gubernatores deputandi.

§. 5. Ac in Patrimonio, Ducatu, Marchia Anconae provinciae, civitatibus & tetris ejusdem rectores, potestates, capitaneos, vexilliferos, & castellanos, iudices, & quoscumque officiales alios generales, temporales, vel spirituales, & officia praedicta, & alia omnia & singula, generalia & specialia, quocumque nomine vel titulo fungantur vel nuncupentur, prout ad Romanam Ecclesiam pertinet, creandi, constituendi, instituendi, suspendendi, remouendi, deponendi, & destituendi.

§. 6. Et culpabiles civiliter & criminaliter, per te vel alium seu alios puniendi, & querelas contra ipsos per quoscumque propositas audiendi, summarie, & de plano iudicandi, & amendas & satisfactiones debitas fieri faciendi.

§. 7. Inter Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Dominos temporales, nobiles & personas alias, communitates & universitates, ac populos, & omnes alios & singulos discordes & dissidentes, Patrimonii, Ducatus, Marchiae, provinciarum, civitatum & terrarum praedictarum pacem & concordiam reformandi, & inter ipsos treuga inducendi, ipsosque ad eas, earumque conservationem, quibuscumque penis & distractionibus ac sententiis, prout ad dictam Ecclesiam pertinuerit, concordies in charitatis aeternae vinculo confirmandi.

§. 8. Colligationes, confederationes, pactiones, conventiones, societates & leges, contra Romanam Ecclesiam, vel contra bonum pacis & statum illarum partium pacificum, seu in praedictum seu damnum Patrimonii, Ducatus, Marchiae, provinciarum, civitatum, & terrarum praedictarum initas, ac etiam ineundas, cassandi & annullandi, & poenas super illis adiectas vel adiciendas relaxandi.

§. 9. Occupata iniuste, ab occupantibus & detentoribus quibusvis eripiendi & recuperandi, ejectos & expulsores a locis & rebus ac bonis suis quibuscumque inique privatos, ad loca & bona eorum propria reducendi, restituendi & reintegrandi.

§. 10. Et super quibuscumque delictis forte factis, rebellionibus per quoscumque universitates vel singulares personas commissis, vel in posterum Vicariatus tui tempore committendis, dispensandi, componendi, concordandi, & delinquentes ad Ecclesiae Romanae gratiam & obedientiam reducendi, & super inhabilitatibus & infamiis quas propterea incurrerint, dispensandi, & universitates & personas huiusmodi ad statum pristinum in integrum reducendi.

§. 11. Generales & particulares exercitus in auxilium & protectionem ejusdem Ecclesiae, status pacifici Patrimonii, Ducatus, Marchiae, provinciarum, civitatum & terrarum praedictarum, & contra rebelles & status pacifici turbatores, & quoscumque, ex causis & aliis quibuscumque & quomodocumque videbitur indicendi, faciendi, congregandi.

§. 12. Hostes, rebelles, & contradictores quoslibet per admonitionis, privationis, depositionis, relegationis, proscriptiois perpetuae vel temporalis sententias, prout ad ipsam Ecclesiam pertinuerit, sublato appellationis obstaculo, compescendi & coercendi. Et de causis appellationum ad Sedem Apostolicam cognoscendi, & eas sine debito terminandi, ac finiendi, ordinandi & statuendi, & reali executioni mandandi.

§. 13. Et omnia, quae ad huius pleni Vicariatus in temporalibus, & reformatoris officium pertinent, & quae necessaria vel utilia fuerint quocumque modo in praemissis & ea tangentibus, & quomodolibet eorundem, & quae ad honorem & commodum ejusdem Romanae Ecclesiae, ad utilitatem & prosperum & tranquillum statum Patrimonii, Ducatus, Marchiae, provinciarum, civitatum & terrarum praedictarum cedere videris, & tibi visum fuerit expedire.

§. 14. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis & literis Apostolicis vel imperialibus, sub quorumcumque verborum expressione concessis & contrariis, etiam Patrimonii, Ducatus, Marchiae, provinciarum, civitatum, terrarum praedictarum statutis, consuetudinibus observatis, per quae nullum cuique, cuiuscumque praeminentiae, dignitatis, excellentiae, conditionis, aut status fuerit, in hac parte volumus adferri suffragium, concedentes liberam & plenariam facultatem.

§. 15. Vicariatus autem curam, regimen, gubernationem, administrationem, potestatem, ac jurisdictionem huiusmodi, tandiu volumus perdurare, donec per Sedem eandem aliud contigerit ordinari.

§. 16. Nos insuper processus, sententias, atque poenas, quos & quas proferri, ac etiam quae per te rite fieri contigerit, rata habebimus: & faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

§. 17.

§. 17. Per hæc autem rectoribus & officialibus in Patrimonio & Ducatu, Marchia, provinciis, civitatibus & terris prædictis, per Sedem Apostolicam constitutis, quominus jurisdictionem & potestatem eis concessam, quandiu in suis officiis & administrationibus præsederint, exercere libere, sicut prius valeant, non intendimus aliquod præiudicium generari.

§. 18. Ut igitur præmissa omnia & singula, melius plenius & utilius exerceri possint, universis & singulis Patrimonii, Ducatus, Marchie, Prouinciarum, ciuitatum & terrarum prædictarum rectoribus, vicerectoribus, potestatibus, capitaneis, officialibus & cæteris nostris & Ecclesiæ, subiectis, cuiuscumque status, præminentie, dignitatis Ecclesiasticæ vel mundanæ, ordinis, constitutionis existant, damus districtius in mandatis, ut tibi efficaciter pareant & intendant. Nulli ergo, &c.

Datum apud Villam Nouam Auenionensis diocesis, 2. kalend. Iulii, Pontificatus nostri Anno primo.

Amplacito Studii generalis ciuitatis Bononiæ, ad Theologicam facultatem.

Huius Studii alta priuilegia & ordinationes habes inf. in Pii IV. const. 69. Sacri, ubi notabo. Et in hac ciuitate Paulus III. Rotam instituit inf. in sua const. 4. Ex inuincto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, Seruus Seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

Quasi lignum vitæ in Paradiso Dei, & quasi lucerna fulgens in domo Domini, est in sancta Dei Ecclesia facultatis Theologicæ disciplina. Ipsa velut fecunda eruditionis mater, ad irrigandam sterilem Orbis faciem fluuios de pectore Saluatoris emittens, humanum genus originalis ignorantie cæcitate deforme, per infusionem veritatis, ad viam reducit iustitiæ vitæ, viuificat animas, easque ad exaltationem Catholicæ fidei, & exterminium hæreticæ prauitatis, & cunctorum infidelium, & adversus etiam inuisibiles potestates, armis inexpugnabilibus munit, & fortissimas constituit bellatrices.

§. 1. Hæc frequenter intra cordis arcana sollicita mente reuoluimus, & intenta meditatione pensamus, tantoque propterea amplius ad illius dilatationem, studia & labores libenter impendimus, quanto exinde maiora animarum lucra provenire, & vniuersalis Ecclesiæ statum amplius cognoscimus augmentari.

§. 2. Sane dum fructus vberes, quos studium Bononiense, quod longissimis temporibus in scipso sicut præfulgida stella emicuit, & diffusa claritate longè lateque refulsit in iure canonico & ciuili, & liberalibus artibus tanquã ager plenus, cui Dominus benedixit copiosa fertilitate, produxit hæctenus, & producit, cum delectatione animi recensemus, & exinde speramus ipsius Theologiæ palmites, si illius studium esset ibidem, amplius propagandos: dumque fidei puritatem, & deuotionem eximiam, quam dilecti filii, populus & commune ciuitatis Bononiæ, nostri & Romanæ Ecclesiæ fideles, ad nos & dictam Ecclesiam habuerunt hæctenus & habere noscuntur, diligenter attendimus, dignum ducimus, & æquitati congruum existimamus, ut Ciuitas ipsa, quam diuina gratia magnis donis, & gratis illustravit, bonorum multiplicium fecunditate dotavit, & loci amœnitate non modica decoravit, huiusmodi scientiæ Theologiæ facultatis muneribus amplietur.

§. 3. Ideoque eorundem populi & communis deuotis in hac parte supplicationibus benigne annuentes, auctoritate Apostolica statuimus & ordinamus, quod in dicta Ciuitate deinceps Studium generale in eadem Theologica facultate existat, & perpetuis futuris temporibus vigeat.

§. 4. Ac docentes & studentes ibidem in facultate prædicta, omnibus priuilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis docentibus, & scholaribus studentibus in illa, in Studiis generalibus eiusdem facultatis commorantibus, gaudeant & vtantur. Volumus tamen quod ad docendum & regendum in ipso studio in huiusmodi facultate magistri & baccalarii, qui in Parisiensi, seu aliis famosis Studiis eiusdem facultatis honorem magistrerii

Bullar. Magn. Tom. 1.

seu baccalariatus acceperint, & alias experti & idonei in huiusmodi studiis Theologicæ facultatis assumantur, in quod Ciuitas ipsa tanto insignita honore, dotibus fulgeat, honori correspondentibus memorato.

§. 5. Insuper, Ciuitatem & Studium præfata, ob profectus publicos, quos proinde spectamus, amplioribus honoribus prosequi intendentes, auctoritate ordinamus eadem, ut si qui in eodem Studio processu temporis, eiusdem scientiæ Theologicæ facultatis brauium assecuti, sibi docendi licentiam, ut alios erudire valeant petierint, impertiri possint, examinari diligenter ibidem, & in eadem facultate Theologica titulo magistrerii decorari.

§. 6. Auctoritate Apostolica statuimus, ut quoties aliqui in eadem Theologica facultate, in eodem Studio fuerint magistrandi, præsententur Episcopo Bononiensi, qui pro tempore fuerit, vel ejus, sufficienti tamen & idoneo, quem ad hoc idem Episcopus duxerit specialiter deputandum, seu Ecclesiæ Bononiensii Pastore carente, dilectorum filiorum Capituli ipsius Ecclesiæ, qui erit pro tempore Vicario generali, qui omnibus magistris dictæ facultatis Theologicæ, in qua huiusmodi examinatio fuerit facienda, in Studio ipso actu regentibus, præsentibus conuocatis, eos gratis, pure, & libere, ac omni dolo & fraude ac difficultate cessantibus, de scientia, facundia, modo legendi, & aliis quæ in promovendis ad Magistrerii honorem in facultate prædicta & ejus officium requiruntur, examinare studeant diligenter, & illos quos idoneos repererit, petito secrete, pure, ac bona fide eorundem magistrorum consilio (quod vtrique consilium in ipsorum consulentium dispendium & iacturam, sub debito iuramenti super hoc præstapert, cum ab Episcopo seu Vicario, ac singulis magistris huiusmodi reuelari quomodolibet districtius prohibemus) approbet & admittat, eisque petita licentiam largiatur, & aliis minus idoneos, postpositis gratia, odio, vel fauore, nullatenus admittendo, super quibus Episcopi, magistrorum, & Vicarii prædictorum conscientiam oneramus.

§. 7. Volentes quod illi, qui in præfato Studio magistrati fuerint in facultate prædicta, in eo, & in aliis generalibus Studiis dictæ facultatis legendi & docendi, absque approbatione alia liberam habeant facultatem, Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum apud Villam Nouam Auenionensis Diocesis, 1. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno octavo.

VRBANUS QUINTUS PONT. CCH. ANNO DOMINI MCCCLXII.



Urban. V. Gallus, Guillelmus Grisatus antea dictus, natus in oppido quod dicitur Grisatium, Prouinciæ Tolosanæ

Titulum magistrerii ibidem conferri posse concedit.

Firmamque desuper seruandam præscribit.

Magistris quoque istum assensum etiam alibi legendi facultatem tribuit.

Dat. P. An. 8. 2. Julij.